



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

IX. Hyperduliae species, Ad honorem B. Mariae Virginis Missas fieri curare.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

§. I I.

Premium Hyperdulia

Fuit, quòd sicuti Berchmannus suis in angustijs omnibus B. Virgini tanquam Matri semper fuit confisus: itâ vicissim ipse tanquam filius ab illa nunquam fuit confusus. Sileat, inquit, Christianus mellifluusque Nestor, misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui invocatam te suis in necessitatibus sibi meminerit defuisse.

S. Bernard. Ser. 4. in Assumpt. B.V.

I X.

HYPERDULIÆ SPECIES.

Ad honorem B. MARIÆ
Missas fieri curare.

§. I.

Ingens diuinissimi illius mysterij, siue sacrificij, quod Missam vocamus, vis est, ad quæuis tam corporalia quàm spirita-

rita-

ritalia Charismata facile impetranda, quemadmodum vel è veteris testamenti sacrificijs, quibus omnibus hoc nostrum Missæ sacrificium præsignatum est, fuerit æstimare. Iudæi quoties iratum sibi cælum sentiebant, quoties aliquod à Deo beneficium impetrare gestiebant, sua sacrificia offerebant, moxque illud placabant, hoc impetrabant. Ita Rex David (ut alios silentio inuoluam) pro pestilentia auertenda sacrificauit, moxque hanc auertit. Sic summus sacerdos Ornias pro temporali vita Heliodori, quæ uis impij & sacrilegi fecit, & quod uoluit effecit. Quod si tantum potuerunt figura, plus utique poterit figuratū, nempe sacrificium Missæ; quæ quantas nostris etiam temporibus vel clades auertent, vel à Deo beneficia impetrant, historia loquuntur. Atque horum, quæ Missæ sacrificio facile obtineri possunt diuinorum donorum Berchmannus probè conscius, cum singulare quoddam à Deo beneficium, unde suam deinceps vitam

vitam pendere non vanus augur reba-
tur, impetrare gestiret, ad Missam de B.
MARIA faciendam, velut ad anchoram
sacram se conuertit, Itaque cum se di-
uinis instinctibus ad religiosum vitæ
statum vocari sentiret, deque religiosis
ordinibus, quemnam potissimè sibi de-
ligeret, ambigeret, demerendam sibi
Missæ sacrificio singulariter Arcam fœ-
deris B. Mariam Virginem existimauit,
vt ab hac super eo negotio certius ali-
quòd oraculum referret. Quare cum in
peculio paupertinòque ærario haberet
viginti quinque florenos; tres in partes
eos diuisit; vnã pauperibus erogauit;
alteram Louanium misit, vt in æde S.
Petri ad aram Marianam certa sacra fie-
rent; tertiam in Asperum Collem cultu
Virginis & miraculorum gloriã orbe to-
to celeberrimum, ad exorandam illic sa-
cris totidem Beatissimæ Virginis opem
transportari curauit.

Cepar pag. 19.

S. II.

Premium Hyperdulie.

Sed quodnam pietatis huiusce premium Berchmannus tulit? Id omne, quod animo destinaret feliciter & Misæ sacrificio & MARIAE, de qua facta fuerat Missa, suffragio consecutus est. Nam paulo post manifestum, exploratumque Berchmanno fuit, quod à Deo in Societatem IESU vocaretur. Neque exiguo illi incitamento fuerunt utilitates quas in Belgio Societas longè maximas affert, laboresque, quos in recedendis ad Ecclesiæ castra, fidemque, hæreticis suscipit: maiora denique quæ in vicino Angliæ Regno à Patribus cum sanguinis etiam, vitæque profusione, carcerum durissimorum squalore, tormentorumque acerba perpeffione, tollerari patrarique audiebat. Concepto igitur proposito, Deoque facta sui in Societate consecrandi oblatione, meritum maioris ergò, ac firmitatis, hoc propositum suum voto sanxit. Norat qui animo

eius

Eius dirigendo præerat, Berchmannum, quoties secum de hoc suo decreto tractaret, solitum promittere curaturum se euadere in eximie sanctum, quod diceret nempe, fieri non posse, quin tantis quanta sunt in Societate IESU, præsijs ad summam, absolutamque sanctitatem pertingatur; se verò, quoties ab eius colloquio discederet, ab ipse persuasum, aliquando Berchmannum sicut dicebat, sanctum reuera fore, quod tanta, cum id pollicebatur, fidentia constantiaque esset promittentis. Et quoniam verebatur vocationis beneficium amittere, si vel tantillum feruor ille relanguisset, quem tum illi DEVS iniecerat, illum suum conscientia moderatorum solito sæpius frequentabat omnem noxiam consuetudinem subterfugiebat, nunquam statas preces, solitauæ pietatis exercitia omittebat. Atque vt Beatissimæ Virgini hoc vocationis beneficium referebat acceptum, eandem, vt sibi perpetuaret, impetrarèque eius persequendi gratiam,

obnixè precabatur. Nec fefellit amantif-
 simum sui clientem virgo fidelis. Berche-
 mannus deniq; omnibus, quæ vel à pa-
 rentibus, vel alijs, etiam religiosis alijs
 hominibus, ei fuerant obiectæ, remoris
 ac difficultatibus generosè superatis, &
 parentibus quòque, quantum fieri ra-
 tione potuit, pacatis, post auditam anno
 vno Rhetoricam in scholis Societatis
 IESV (in quibus affirmant eum longè
 ceteros omnes præiuisse, Græcisque
 Latinis, seu versu, seu prosa antecelluisse
 se) V. III. Cal. Octobris, Anno Christia-
 no MDCXVI, annos natus septem
 decim & mediū, admissu P. Caroli Scro-
 bani Prouincialis, Mechliniæ in tiro-
 nium Societatis IESV ingressus est, Sa-
 bathi B. MARIAE Deiparæ Virgini festo
 tot ab eo ieiunijs celebra-
 to (vt postea
 singulari Hyperdulæ specie referemus
 primūque eorum extitit, qui e recentibus
 hisce scholis in Societatem IESV
 cooptatus est. Ecce quàm pietas sit
 omnia utilis, & fructuosa!